556 92

D. O. M.

THESES

EX UNIVERSA MEDICINA

SELECTÆ

PUBLICIS AGITANDÆ DISPUTATIONIBUS

IN SCHOLIS MEDICORUM

ACADEMIÆ CADOMENSIS,

PRO DOCTORATUS GRADU, ET COOPTATIONIS MUNERE CONSEQUENDO.

M. JOANNE FRANCISCO DE LA DUCQUERIE, Regis Consiliario, & Professore Regio, Præside.





CADOMI,
Ex Typis ANTONII CAVELIER, Regis & Academiæ Typographi. M. DCCXV.

THESES
EX UNIVERSA MEDICINA.
EX PHYSIOLOGIA.

MEDICINA à medendo ſic dicta, ab Hippocrate optimè definitur *adjectio deficientium, & detractio redundantium.* Ars eſt, quæ ſanum corpus conſervat, ægrum reſtituit. Commodè ſatis dividitur in quinque partes. Varias inter Medicorum ſectas tenebit is præſtantiorem, qui experientiam rationi, rationem experientiæ conſociare noverit. Peripateticorum elementa non admittimus. Carteſii ſupponi poſſunt, nec ſine neceſſitate. Chymicorum ad duo revocamus, terram & phlegma. Ex his cum materiæ ſubtilis adminiculo cætera exurgunt principia, ſalia, ſulphura, & ſpiritus, & in hæc reſolvuntur. Quid ſit temperamentum ad *pondus*, temperamentum ad *juſtitiam*, an detur utrumque? in his tempus non ludimus. An à verme, an ab ovo pendeat generationis opus, magna eſt controverſia. Qui vermium tuentur opinionem, clariſſimorum authorum experimentis freti, vermes in ſemine contineri aſſerunt. Nos ejuſmodi corpuſculorum motum ab impulſu particularum ſeminis ſubtiliorum non ſine fundamento repetimus. Ab ovo igitur principium: & quidquid dicant qui contrarium ſentiunt, in ovo muliebri partes naſcituri animalis antequam ſemen recipiatur, delineatas eſſe multis argumentis evincere aggredimur: hæ partes ſunt innumerorum tubulorum congeries. Omnes permeat aura ſeminalis, omnibus præbet elaterium, quo dato, ob reſiſtentiam liquidi intra tubulorum cava contenti oſcillant. Ab oſcillatione cæteræ pendent functiones, ſecretio, nutritio, accretio. Primam in ovo partium evolutionem à fermentatione quidam repetunt, ſed quâ prorſus ratione, quibus argumentis innitantur, neſcimus. Stupendum profectò naturæ miraculum vis eſt magnetica. Cujuſvis ſint indolis quæ è Magnete erumpunt corpuſcula, attamen ad poros ferri permeandos, vel ad eos ſibi accommodandos haud inepta eſſe certum eſt. Cur autem, ut in ovo idem abſolvatur, à ſeminis ſubtilioribus particulis fermentationem advocas? cur ad motum fermentationis confuſum & inordinatum recurris, ubi viget miranda ſeries & perpetuus ordo? Dum particulæ ſeminis ſubtiliores futuri animalis tubulos ſubeunt, viam parant materiæ, à qua pendet vis elaſtica;

hinc fibrarum elater; ſucci tunc inertes & immoti vibrantur, & alternis propelluntur; ſic à ſolidis oritur motus, ſic ab eorumdem actione perſeverat. Fœtus in utero matris non reſpirat. Per os nutritur, non ſanguine materno, ſed humore in amnio contento, cui innatat. Grandior factus, ſi Drelincurtio credimus, propter majorem meconii copiam calcitrat impatiens, & diſruptis membranis egreditur: ſtatim aër per trachæam arteriam pulmonum veſiculas ſubit, quas elatere ſuo dilatat, hinc reſpiratio. Aërem in inſpiratione pulmonum veſiculas permeare, ne credas. Si in pulmonibus rubicundiorem induat ſanguis colorem, hunc trituræ acceptum referas oportet. Mammæ in gravidis ſororiant propter communicationem nervos inter uterinos & mammarios poſitam. Lactis materia chylus eſt. Poſt partum magnâ copiâ defertur ad mammas, impedito ſcilicet per uteri meatus ſucci nutritii proventu. Nutritionis pariter materia chylus. A tritu pendet *chyloſis*. Pars chyli purior à craſſiori ſecernitur in tenuibus inteſtinis ope motûs vermicularis fibrarum & lymphæ à glandulis abundè ſcaturientis; ſed præcipuè bilis ſuccique pancreatici ſimul concurrentium adminiculo, abſque efferveſcentia & fermentatione. Fermentorum promptuarium & ſedem glandulas arcemus ab œconomia animali. Inventæ à recentioribus, non detectæ ſunt glandulæ; ſine harum auxilio, ſine fermentorum ope, ſine diverſarum configurationum mancipio peraguntur ſecretiones ſolâ ſimplicique mechanicâ. Eâdem prorſus ratione periodica ſanguinis vacuatio fœminis contingit, non à fermento, non à luna, ſed à peculiari vaſorũ diſpoſitione. Omnia corporis vaſa continua ſunt. Venæ ſunt arteriæ reflexæ: ex illarũ curvaturis prodeunt vaſa lymphatica, ductus excretorii, &c. Ab arteriarum curvaturis cerebri ſubſtantia corticoſa, calloſa, tandemque continuato filo nervi propagantur. In his ſuccum nervoſum percolari, abnuere vetat experimentum Malpighii, qui in cauda bovis, nervo compreſſo, humoris motum obſervavit: ſecto præterea eodem, terebinthinæ inſtar, fluxit glutinoſus. Spiritus animales alii admittunt, alii negant: tu qui ſalis volatilis naturam illos referre contendis, dic, amabo, cur ex tota cerebri compage analyſi chymicæ ſubjectâ, minor copia ſalis volatilis, quàm ex minima urinæ quantitate eliciatur? Tot ſtupendos aëris effectus vides. Conſtans & perpetuum eſt illius elaterium: illud cæteris corporibus impertit, fibris corporis humani non denegat. Talis opifex, ſi ſpiritûs animalis nomine appelletur, non errabis. Muſculi nec ab efferveſcentia ſanguinis & ſpirituum animalium, nec à veſicularum ſphæroidalium turgeſcentia contrahuntur: hoc enim & rationi, & experientiæ contrarium aſſerimus.

EX HYGIEINE.

HYGIEINE tuendæ sanitatis leges præscribit. Deteritur quotidie de substantia corporis; adjicit Hygieine parcâ quod satis est manu. Si plus concedas, quàm expedit, animal excessu perturbatum sexcentis obnoxium fit ægritudinibus. Adsit aurea mediocritas in eorum, quibus ad vitam in statu naturali conservandam nobis opus est, usurpatione. Medicus expostulanti tantùm largiatur concinna, avertat incongrua, præscribat optima. Somnus & vigilia modũ non excedant: secus enim illo vires torpescerent, hâc corpus debilitatum frangeretur. Otio languent corporis functiones, motu feliciùs peraguntur, fibræ validiùs oscillant; hinc excreta ritè amandantur. Motus semper quieti succedat. Aër, cibus & potus vitam fovent ac tuentur. Aër corpus est liquidum, grave, densari & resilire aptũ. Tantæ est ad vitam necessitatis, ut nullus eo impunè diu carere possit. A varia illius temperie, varia pendent multarum gentium temperamenta, varii mores, varia studia. Cur homo in eadem regione modò tristis & severus, modò hilaris, nunc prosperâ utatur valetudine, nunc adversâ, miraris? ab aëre repeti debet hæc varietas. Qui Lutetiam Parisiorum adeunt nostrates ferè omnes alvi fluxu torquentur. Cur aquas Sequanæ insontes accusas? Quidam vulgari famæ aurem præbentes aquam fontanam, vel cerevisiam, vel vinum purum hauriunt: quid inde? seriùs aliquando, sed tandem alvi fluxu miserè vexantur. Qui se pelago committunt, idem solvunt vectigale. Nonne ab aëris temperie diversâ & immutatâ isthæc contingit varietas? Aëris externi munus est pulmones intrare, eorum vesiculas dilatare & comprimere, sanguinis particulas disjungere, dividere, comminuere, quò faciliùs vas excretorium moli suæ respondens subeant; hinc in expiratione multæ abripiuntur fuligines. Dum aër cæteras corporis partes ambit, fibrarum elaterem fovet, juvat oscillationem. Si cum solidis rectè æquilibretur, erunt motus æquabiles, optimè terentur succi, & vigebit sanitas. Vitetur aër, cui sæpissimè admiscentur effluvia, quæ partium solidarum oscillationes perturbant, debitamque cum fluidis proportionem tollunt, alioquin causa esset multorum morborum non infrequens. Cibo & potu partes deperditæ restaurantur. Victu corpus nutriri, non saginari, vires refici, non opprimi debent. Edulia sumas, quæ stomacho amica sint, consueta, suaviora, quæ facilè teri possint, non quæ fermentationi sint magis idonea. Optimum tibi sit condimentum fames. Liquores ardentes, qui nunc multorum deliciæ sunt, tanquam quid cane pejus & angue fugias. De vino nil dicimus: vivendo nimirum Medicè, vivitur interdùm miserè; in omnibus tantum modum memento servare.

EX PATHOLOGIA.

PATHOLOGIA est ea Medicinæ pars, quæ circa morbos, eorumdem causas & symptomata versatur. Morbus est, quando solidæ & fluidæ corporis humani partes debitam inter se proportionem non servant. Quidquid hanc tollit, pro morbi causa habeto. In æquilibrio sanum corporis statum ne positum existimes. Ut adsit sanitas, destrui debet æquilibrium : cave tamen ne plus æquo destruatur. Si enim, ubi partes tendunt ad æquilibrium, morbus est; sic, cùm ab eo nimis recedunt, pessimè se habet corpus. In medio igitur stare debet proportio illa solidas inter & fluidas partes, ut corpus vigeat incolume. Tritûs & fermentorum assertoribus paradoxa forsan videbitur hæc opinio : sed qui veritatis potiùs, quam systematum amore capitur, rebus accuratè perpensis, solidorum & fluidorum vires æquas non esse comperiet. Succi fluxiles, ductiles, à solidis facilè debent superari, subigi, & ad sua quæque munia obeunda debitè propelli; tunc adest sanitas. Morbus verò ingruit, si iisdem succis superandis vel imparia sint solida, vel quacumque de causa illos nimis superent : in hoc plus æquo destruitur æquilibrium, in illo partes ad idem nimis tendunt. His positis, morbos omnes à nimia fibrarum vel laxitate, vel tensione aut crispatura oriri contendimus. Singula, quæ fibras vel laxant nimis, vel tendunt aut crispant, puta causas morborum procatarcticas. Ut fibræ oscillent, debent fluidis irrigari; si irrigatio nimia sit, laxatur fibra, minuitur elaterium, hinc motus debilis & languidus. Hoc fonte derivantur omnes ferè morbi chronici. Si ob coagulatos, aut quocunque modo vitiatos succos fibræ nimis tendantur aut crispentur, nascuntur acuti. Nunc quid sit fibræ laxatio, aut ejusdem crispatura, audias. Tibi sit fibra velut fides cujusvis instrumenti : hanc si diutiùs aquâ perfundas, nonne fides laxabitur? nonne remittetur elater? rationem quæris? aqua fidis poros vel nimis reserat, vel si cum D. Mariotte aërem in liquoribus dissolvi contendis, à liquore fibrillarum poros subeunte dissolventur illæ aëris particulæ, à quibus pendet corporum elater. Fit *erethismus*, cùm corpus aliquod ita in fibrillarum poros incidit, ut æther per illas continuò effluens iniquiores reperiat meatus. Tunc tremulum & inordinatum in fibrillis motum excitat, unde irritatio. Porro cùm in massa sanguinea multi sint sales acres, si qui redundent, talem facient in fibrillis impressionem, quæ aëris præterfluentis motum perturbabit. Alia est causa irritationis solidorum. cùm scilicet fibræ à succo quodam crasso & coagulato distenduntur : tunc enim à centro æquilibrii plus æquo dimotæ, crebriores ut sese restituant, patiun-

tur oscillationes, præsertim si in humore inspissato manifesti sint sales acres; tunc enim oriuntur inflammationes, tumores, motus convulsivi, deliria, erosiones, exanthemata, carbunculi, pustulæ, bubones, phlyctenæ, variolæ. In massa sanguinea quidquid obtrudat fermentator, ne mica quidem est acidi : id testatur Chymia : sed multi sunt sales acres, unde ingens morborum cohors. In febribus intermittentibus omnes acidum incusant. Reverà pars quædam chylosa, malè trita in tortuosis, iisque tenuissimis mesenterii canalibus forsan stagnabit; hinc à tritûs defectu prima mali labes. Sed si acida in febribus tantùm retundere contendis per sales alkalinos, Helmontianorum more, viden' quot turbas concites ? pejora prioribus excitabis incommoda, & diri exurgent effectus. Tu qui Medici nomen usurpas, naturam paulò accuratiùs intuere : videbis sanguinem in febricitante salibus alkalicis turgere magis, quàm cùm benè se habet. Sed KINA KINA morbos tollit salium alkalinorum more acida absorbendo : minimè. Cortex ille non abundat salibus alkalicis : imò acidorum more, succum *heliotropii* aquæ mixtum rubro colore inficit. Nonne etiam acidorum ope, v. g. succo limoniorum, vel omphacio in frigoris *paroxysmo* exhibitis multas febres debellatas videmus? Rationem quærunt Medici, & quocunque se vertant modo, causam extricare non possunt. Nos illam digito monstraremus nostris semper innixi principiis; sed tot peritissimorum Virorum judicio illam subjicere non est opportunum, nisi quasdam antea observationes recoquere nobis licuerit accuratiùs.

EX SEMEIOTICE.

SEMEIOTICE versatur circa morborum signa. Illa sunt vel *prognostica*, quæ futurum morbum præsagiunt; vel *diagnostica*, quæ morbi statum præsentem declarant. Hæc rursus dividuntur in symptomatica, quæ morbum sequuntur; critica, quæ naturæ quodam impetu accidunt. Crisis vitam aut mortem prænunciat. Oritur à fibrarum debita oscillatione restitutâ : ut enim succi in partibus stagnantes foràs propelli possint, *isochronæ* debent esse fibrarum oscillationes. Si inter se non consentiant, sed opponantur, tunc ingravescit morbus: quòd si tamen post multas vibrationes consentiant, nimiam fluidorum resistentiam superare poterunt, & eorum particulas ita comminuere, ut facilè per canales excretorios propelli possit humor vitiosus : hinc in diebus criticis non raro contingunt evacuationes, quas ab humorum concoctione seu πεπασμῷ oriri ferè credunt omnes. In iisdem criticis diebus mors nonnunquam

accidit, cùm humor depravatus & ſtagnans nec ſubigi, nec ſatis attenuari potuit : tunc enim denſiùs intra canales inſpiſſatur, fibræ nimiùm diſtenduntur, & ad talem ſuperandam reſiſtentiam ineptæ fiunt : quæ antea vividiores erant oſcillationes vix percipiuntur, languent : jamjam ad æquilibrium cum fluidis partibus tendunt ſolidæ, & mors adeſt in propinquo. Alia ſunt morborum ſigna, nempe pulſus, urina, fæces. Variæ ſunt pulsûs differentiæ, vel enim ſunt magni & validi, parvi aut debiles, &c. Tot pulſuum diverſitates enumeravit Galenus, ut vix obſervari poſſint. Ex validiori vel debiliori cordis & arteriarum contractione pendent pulſus aut debiliores, aut celeriores. Immoderatæ ſanguinis effervеſcentiæ aut fermentationi pulsûs celeritatem non ſemper tribuas : quò enim tardiùs fluit ſanguis per vaſa, eò crebriores redeunt & cordis & arteriarum oſcillationes. Urinarum color potiſſimùm ſpectari debet. Non inania ſunt verba *nubis*, *eneorematis*, & ὑποστάσεως : pro horum majori vel minori copia quædam aliquando prognoſis inſtitui poteſt ; ne tamen ex οὐροσκοπία morborum cauſas omnes, variaque ſymptomata aſſecuturum more circulatorum confidas. Ex excrementorum colore & conſiſtentia, an alimenta rectè in ventriculo contrita, an mediantibus bile & ſucco pancreatico benè ſubacta in inteſtinis, num vitio bilis, ſucci pancreatici aut lymphæ inteſtinalis morbus procedat, cognoſces? Ad ſexum, ætatem, vitæ genus, loca, tempora, ad ægri etiam oculos, vultum, linguam, cutem, Medicus ſuæ ſtudioſus artis & famæ non leviter debet attendere.

EX THERAPEUTICE.

THERAPEUTICE medendi rationem præſcribit. Tres aliæ partes huic famulantur, nempe *Diæta*, quæ rerum non naturalium uſum moderatur; *Pharmacia*, quæ remedia præparat; *Chirurgia*, quæ ferro medetur. Summum Artis Medicæ præſidium venæ ſectio, quæ cæterarum evacuationum vices ſupplet. Hujus ope canalibus ultra metas diſtentis tonus reſtituitur, debitæ redeunt oſcillationes, promovetur ſuccorum tritus, & humores in corpore redundantes evacuantur. Quàm neceſſaria ſit ineuntibus morbis hæc medendi ratio, ex ſanguinis eruptione per diſrupta vaſa tardiùs ut plurimùm cognoſcunt venæ ſectionis oſores. Prudentem tamen requirit Medicum venæ ſectio; ſanguinis enim eductio copioſior pejora aliquando prioribus excitat ſymptomata, virium proſtrationem, ſecretionum imminutionem, ſucci nervoſi penuriam, unde pulsûs intermiſſio, *lipothymia*, & *ſyncope*. Remedia, quæ Pharmacia

ſuppeditat, ex mineralium, vegetantium, & animalium familia eruuntur. Dividi vulgò ſolent in alterantia & evacuantia. Prima, ut aiunt, humorum qualitates immutant, & ad ſtatum naturalem reducunt: altera redundantium evacuationem promovent. Triplex eſt evacuatio; una per ſuperiores partes, altera per inferiores, tertia demùm per totum corporis ambitum. Quæ per ſuperiores vacuant medicamenta, *emetica*, *expectorantia*, *errhina*, *ſalivantia*; quæ per inferiores, *purgantia*, *diuretica*, *menſes* vel *hæmorroides* moventia; quæ per corporis habitum, *diaphoretica* vel *ſudorifica* dicuntur. Hæc & illa ſtimulando agunt. Purgantia, ventriculi & inteſtinorum membranas irritant, convellunt; hinc humores viſcerum iſtorum parietibus & cellulis inhærentes excutiuntur, & ſucci exprimuntur è glandulis. *Emetica* non ſolùm ventriculi membranas irritant, ſed etiam in contractionem adducunt *diaphragma* & muſculos abdominis: hinc unica *ſtibii* atomus tot & tam copioſas ſæpè concitat vacuationes. Salivantia, diuretica, ſudorifera, cæteraque id genus evacuantia ſtimulando ſuum pariter effectum habent. Adeſt ſtimulus, cùm pars aliqua ita in fibrillarum poros impingit, ut illarum vibrationes augeat, crebrioreſque efficiat. Hæc præſtant omnia ferè medicamenta: particulis enim conſtant, quæ cuneorum inſtar fibris inhærent, & eaſdem ſtimulant; vel ſi cum cæteris humani corporis liquoribus intimiùs permiſceantur, ſic illos aut acredine ſuâ afficiunt, ut quas alluunt ſolidas partes, vividiùs vellicent; aut ita in corporis ſuccos inducuntur, ut eos temperent, fibrarumque tollant *erethiſmum*, quod ultimum præſtant alterantia. Hinc in cura morborum omnium ſpectari præſertim debet ſolidorum motus, à quo cum debita proportione permanente ſi vita pendeat & ſanitas, ſic ab eodem perturbato morbus ingruit, reſtituto ſanitas viget.

Has ſuas Theſes proponebat CAROLUS MALOUIN, *Cadomæus*, *Licentiatus Medicus*, *die Veneris quartâ Octobris*, *A. R. S. H. M. DCCXV. ab hora octava ad meridiem.*

Fortuitam deinde Aphoriſmi Hippocratis ſorte ducti explicationem habebit

PRO AGGREGATIONE OBTINENDA.